

late et expresse, sicut ipse, id videantur ponere. Potest tamen videri de hoc Suarez, libro secundo de causa prædestinationis, capite xxiii, num. xxxi, et sequentibus, et Vasquez, prima parte, disputatione nonagesima nona, capite septimo. Sed hoc latius expendendum a nobis est in materia de prædestinatione, quam sequenti tomo Deo dante explicabimus.

Ex his autem deducitur tertium inconueniens contra hanc scientiam mediam etiam pertinens ad materiam prædestinationis, videlicet quod Deus non prævideat quid faciendum sit a nobis in prædestinatione sua, non solum quantum ad futura conditionata, sed neque quoad absoluta, sed prædestinatio, et quodcumque decretum de futuro eventu rei ad hoc solum seruiet, ut Deus purificet conditionem sub qua præsciebatur eventus futurus, non vero ut decretum electivum, et præelectivum ipsius rei futuræ, et ita Deus non eliget, et præeligit sanctos, sicut de Beata Virgine canit Ecclesia: Elegit eam Deus et præelegit eam, sed futuram sanctitatem supponet, solum autem conditionem tollet, ut de facto futurum sit. Quod hoc sequatur, ex dictis deducitur. Nam Deus tunc incipit habere rationem prædestinationis ut specialis providentia est, et infallibilis circa eventum, quando ex præscientia boni usus liberi arbitrii futuri decernit quod ita fiat, supponendo non faciendum quod ita erit si conditio ponatur; ergo ut transeat hoc futurum de conditionato ad absolutum non indiget Deus speciali providentia, et gratia præter communem illam gratiam, et indifferentem, quam per communem providentiam tam prædestinatis, quam non prædestinatis tribuebant, sed solum voluntate purificandi conditionem, et in hoc solum decreto con-

sistet prædestinatio in quo Deus decernit purificare conditionem, v. g. si videt Deus quod si Petrus tali vocatione pulsetur in tali occasione consentiet, quæ vocatio de se erat indifferens, quæ data eidem Petro in alia occasione vel Joanni, non consentiret, prædestinatio ad consentiendum solum consistet in voluntate, qua Deus decernat dare de facto talem vocationem. Ex quo sequitur quod non in virtute talis prædestinationis videbit Deus infallibiliter quid futurum sit, sed in virtute præscientiæ mediæ præsuppositæ. Consequentia quoad primam partem probatur, quia prædestinatio non addit juxta Molinam et defensores scientiæ mediæ majora vel specialiora auxilia ex parte Dei, et in entitate sua quam quæ dantur per communem providentiam etiam non prædestinatis, si quidem utrisque dantur indifferentia auxilia, et solum est differentia ex parte præscientiæ, quod prædestinatus prævidetur operaturus cum illis auxiliis, non autem qui non est prædestinatus: ergo prædestinatio supra providentiam communem non addit, nisi voluntatem purificandi conditionem supposita præscientia, quod effectus tunc sequatur, si quidem ut effectus sequatur non debet providere diversa auxilia quam quæ præscita sunt ut cum illis obtineatur effectus, ergo solum indiget purificatione conditionis. Quoad secundam vero partem probationis, quia purificatio conditionis non est aliud, quam positio in facto esse illius vocationis et auxilii sub qua prævidebatur consensurus, aut perseveraturus si daretur, sed hoc auxilium de se est indifferens ut sequatur consensus, et communiter pertinens ad prædestinatos, et non prædestinatos, et ad providentiam communem spectans, ergo voluntas et decretum dandi tale auxilium, et vocationem

non est sufficiens de se ut in vi illius videantur illa opera futura et ille consensus, et sic Deus non videt in sua prædestinatione, facta illa futura, sed in præscientia antecedenti; et si voluerit illum bonum consensum aut fidem, aut perseverantiam alicui promittere non de suæ voluntatis potestate, sed de nostræ voluntatis arbitrio præviso id promittet.

XXVII. Falsitas autem consequentis patet, nam Augustinus expresse dicit: « Quod Deus prædestinatione sua futura facta præscit, » libro, de prædestinatione sanctorum, c. xvii: « Et quod promittit illa futura facta, v. g. fidem gentium non de nostræ voluntatis potestate, sed de sua prædestinatione, nec dicitur promittere id quod potens est præscire, sed quod potens est et facere. » Ibidem cap. x: « Et quod præscientia est idem quod prædestinatio, ea enim præscire dicitur Deus quæ prædestinat, » ut dicit libro de bono perseverantiæ, capite xviii, et sic semper repulit Augustinus propositionem Semipelagianorum, quod prædestinationem secundum præscientiam admittebant. Similiter prædestinatio illa apud defensores scientiæ mediæ non afferret de se infallibilitatem causando, sed supponit præsciendo, alias si afferret illam non haberet ex sola scientia mediæ, nec indigeret illa ad sui infallibilitatem, ergo in vi prædestinationis non intelligit Deus facta sua, seu bona opera nostra, quia in vi illius infallibilitatem non habet. Quod vero sit inconueniens ponere prædestinationem in sola voluntate purificandi conditionem futuri prævisi patet, quia prædestinatio est secundum electionem prædestinantis, qua facit id quod eligit, ut patet per Augustinum in libro de prædestinatione sanctorum, capit. xvii: « Hæc est, inquit, immobilis veritas prædestinatis et gratiæ. Nam quid est quod ait Apostolus: Sicut ele-

git nos in ipso ante mundi constitutionem? Quod profecto si propterea dictum est, quia præscivit Deus credituros, non quia facturus fuerat ipse credentes, contra istam præscientiam loquitur Filius dicens: Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, cum hoc potius præscierit Deus quod ipsi eum fuerant electuri, ut ab illo mererentur eligi. Electi sunt itaque ante mundi constitutionem ea prædestinatione in qua Deus sua futura facta præscivit. » Et infra: « Eligendo ergo facit divites in fide sicut hæredes regni, recte quippe hoc in eis eligere dicitur, quod ut in eis faciat, eos elegit. » Non ergo solum eligit Deus ipsam gloriam, non solum eligit hunc ordinem rerum ex infinitis quos poterat, et relinquit voluntatem facere, non solum eligit purificationem conditionis ut de facto ponatur conditio, et voluntas faciat si vult, sed eligit ipsam fidem, ipsum credere, eligit facere divites in fide, et sic prædestinatio non est solum voluntas purificandi conditionem prævisam, sed electio factiva ejus quod futurum est. Unde dictum est: Fecit quæ futura sunt, ut ibidem cap. x dicit Augustinus. Videndus est D. Thomas super caput viii ad Rom. lect. vi, explicans illud: Quis præscivit et prædestinavit, et super caput ix, lect. iii, ubi ostendit prædestinationem etiam versari circa ipsum usum gratiæ, ita quod est ejus causa, et sic non potest ex præscientia talis usus prædestinatio oriri. Et optime Cajetanus super caput viii ad Romanos ostendit: « Præscientiam non esse rationem prædefinitionis, sed quod prius prædefiniuit quam præscivit. »

INCONVENIENTIA ALIA.

XXVIII. Præter ea inconuenientia quæ ex parte prædestinationis assu-

muntur contra scientiam mediam, alia non parvæ considerationis resultant contra alia attributa Dei, quæ imperfectionem maximam Deo accumulanti, si hæc scientia media admittitur. Licet enim in providentia creata maxima esset perfectio, hanc mediam scientiam habere autem omnem actum voluntatis, imo ad hoc ut prudenter dirigeretur omnis voluntas, tamen in Deo imperfectio est magna, quod ita hanc scientiam ejus attribuamus intellectui, quod independentem eam faciamus ab ejus voluntate, et dominio et decreto, ita quod pro illo statu conditionato nihil voluntas Dei possit circa talia futura, sed omnem determinationem eorum ante suum decretum supponat, et cum sit omnipotens attendere debeat prius ad suarum creaturarum effectus, et determinationes ut sciat illas, quam ad omnipotentiam suam a qua omne creatum sub quocumque statu derivatur et determinatur.

XXIX. Igitur dum hæc scientia vult salvare libertatem nostram, præsupponendo non derivando determinationem ejus a decreto divino, diminuit omnipotentiam Dei, ejusque universalissimam causalitatem: *Qui operatur omnia*, ut inquit Apostolus, *secundum consilium voluntatis suæ*. Secundo, diminuit summam ejus libertatem. Tertio, summam ejus providentiam independentem ab omni alio extra se, a cujus jurisdictione subtrahuntur determinationes liberæ pro statu conditionato. Quarto, supremum ejus dominium circa creaturas, sub quocumque statu considerentur. Et hæc omnia deducuntur ex illo principio quod per istam scientiam mediam videt Deus quid futurum sit determinate sub tali conditione antecedente ad omne decretum suæ voluntatis, in quo statu non solum videt res ut pure possibles, ad hoc

enim sufficit respicere ad omnipotentiam suam, sed videt determinari veritatem contingentem, et liberam ad unam partem in ratione futuri, posita tali conditione, cum posset oppositum determinari, et hæc determinatio videtur antecedente, et independentem a libero decreto sic determinante, licet dependeat a decreto Dei ejus executio si purificetur conditio, et fiat absolutum futurum; in quo est tota fere deceptio hujus scientiæ, quia enim dicunt dependere omnia illa futura a Deo quoad executionem, nec videri a Deo quod existent absolute, nisi ipse voluerit, et dependente a decreto conditionato ex parte actus, salva omnia arbitrantur, cum ex alia parte subtrahatur a voluntate Dei non executio futuri, sed determinatio conditionata, ita quod voluntas divina quando attendit ad decernendum executionem, jam invenit determinatam voluntatem si talis conditio ponatur, ita quod posita ea conditione non potest voluntas divina ad aliam partem determinare voluntatem creatam, alias falsificaret scientiam suam. Unde concursus Dei, et decretum de illo dando solum servit ut homo exequatur quod determinaverit, non ut determinet quod exequatur.

XXX. Probatur ergo sequi inconvenientia illa. Nam ponamus, v. g. quod ante omne decretum divinum videt Deus per scientiam mediam quod si Petrus sit in atrio Caiphæ tali nocte cum talibus circumstantiis incutientibus timorem, et ipse habuerit auxilium Dei indifferens, sed sufficiens ut non timeat, vel cogitationem ut timeat, quod sub isto auxilio et circumstantiis timebit ita vehementer, quod etiam negabit Christum. Et similiter videt quod si David tali die maneat in Ceila, tradetur a Ceilitis. Hac scientia oblata, quæ non solum possibilitatem isto-

rum repræsentat (id enim pertinet ad scientiam omnino necessariam, et simplicis intelligentiæ) sed etiam determinationem, et futuritionem sub conditione, voluntas divina vel potest adhuc stante illa conditione cum omnibus illis circumstantiis velle quod Petrus non timeat, et Ceilitæ non tradant, vel non potest id velle. Si potest velle oppositum, ergo adhuc scientia illa non erat infallibilis, quia adhuc restabat consulenda voluntas divina, a qua potest cassari et evacuari illa veritas, etiam sub statu conditionato, et sic ante divinam voluntatem et determinationem illius, non potest reddi certa et infallibilis illa præscientia, si enim Deus potest velle, ut stante illa conditione Ceilitæ non tradant, et Petrus non timeat; ergo si velit neque Petrus timebit, neque Ceilitæ tradent etiam illa conditione posita, voluntati enim divinæ de facto volenti nihil resistit, alias aut vellet impossibilia, et esset stulta, aut ei resisteretur volendo rem possibilem, et esset infirma. Si ergo adhuc posita illa conditione potest voluntas facere, quod oppositum sit sub illa conditione futurum, potest falsificare conditionatam veritatem, quam scientia illa ante voluntatis decretum prævidebat, ergo non infallibiliter prævidebat, nisi suspenderet judicium quousque sic placeret suæ voluntati, atque adeo solum post beneplacitum voluntatis suæ erit certa, quod est post decretum de facto habitum, beneplacitum enim decretum est. Nec dico post decretum exequendi de facto, et reddenti illud futurum absolutum, non enim loquimur de beneplacito, et decreto exequendi, et ponendi in statu absoluto, sed de decreto placendi, quod illa veritas ita sit determinata sub statu conditionato, eo quod etiam sub statu conditionato posset placere oppositum, et de-

terminari. Si vero posita illa conditione et cognita illa determinatione, voluntas divina non potest oppositum velle pro illo statu conditionato, id est, non potest velle quod manente David in Ceila non tradatur a Ceilitis, et Petro existente in atrio pontificis non timeat, ergo est illi impossibile illud objectum pro illo statu, scilicet quod manente David in Ceila non tradatur, ergo diminuta est divina potentia et libertas voluntatis circa tale objectum, et circa omnes combinationes liberæ conditionatas. Patet consequentia. In illo signo rationis quo intelligitur scientia media ante omne decretum, seu placitum divinæ voluntatis utraque pars erat possibilis voluntati creatæ, scilicet quod stante illa conditione traderetur David vel non traderetur, timeret Petrus vel non timeret, possetque si voluntas illorum aliter se determinasset, oppositum videri a scientia media, ergo etiam illud oppositum erat possibile voluntati divinæ, et ejus omnipotentiam, sicut voluntati creatæ, implicat enim aliquid esse possibile voluntati creatæ, et impossibile voluntati divinæ, ergo non potest posita illa conditione et sub statu conditionato reddi impossibile Deo, quod manet possibile voluntati creatæ, ut pote liberum, et contingens respectu illius. Patet hoc manifeste, quia in ipso signo scientiæ mediæ ante omnem actum voluntatis Dei, videbatur quod voluntas creata se determinabat ad unam partem sub illa conditione cum possibilitate ad oppositum etiam sub eadem conditione, et consequenter idem erat possibile divinæ voluntati: et sine aliquo actu vel determinatione, aut decreto voluntatis Dei videtur quid determinat voluntas creata sub illa conditione, et hoc viso non remanet jam possibile voluntati divinæ oppositum sub eadem conditione, ergo

ex sola suppositione creata sine aliqua suppositione divinæ voluntatis, id quod erat possibile redditur Deo impossibile, ergo diminuitur divina potentia et dominium et libertas in illa determinatione volenda sub illo statu conditionato, nam sub eodem statu erat impossibile quando voluntati creatæ erat possibile, et postea determinatione voluntatis creatæ, et nullo actu divinæ, redditur ei impossibile sub eodem statu.

XXXI. Confirmatur, quia illud objectum conditionatum vel proponitur divinæ voluntati ut libere complaciat et velit aliquid circa illud objectum scientiæ mediæ, in eodem statu conditionato, sicut in eodem statu determinat voluntas creata circa illud et ei complacet, sicque prævidetur a Deo vel non, ut libere sed necessario se gerat erga illud. Hoc secundum dici non potest, quia si voluntati creatæ illud objectum complacuit libere et prævidetur libere ad illam partem se determinasse in statu conditionato, quomodo necessitatur erga illud voluntas divina, ita ut necessario debeat velle id quod prævisum est velle creatam voluntatem ante omnem actum voluntatis divinæ? Si autem libere ei placet illa determinatio sub illo statu conditionato, ergo potest non placere Deo, et velle oppositam partem seu determinationem sub eodem statu, et sic currit argumentum supra factum, quod potest per voluntatem divinam falsificari scientia mediæ si oppositum velit, et sic ante voluntatis divinæ decretum non est infallibilis talis scientia; nec necessario competens Deo, sed dependenter a voluntate sua libera. Ratio enim ipsa postulat, quod si aliqua determinatio sub statu conditionato pendet a voluntate creata, et hæc in omnibus pendet a divina, non cognita voluntate divina, sed

solum creata, non cognoscetur infallibiliter.

Quare ex tali positione scientiæ complicatur, et diminuitur potentia divina, ejusque supremum dominium in quocumque creatum liberum sub quocumque statu, et libertas voluntatis divinæ ad disponendum de illo, aut reddetur non firma nec infallibilis, et certa illa scientia mediæ.

XXXII. Quod vero affinet ad divinam providentiam, etiam illa redditur dependens a determinatione creata, si quidem non potest prudenter et certo decernere, et providere nisi prius exploret per scientiam mediæ, quid creatura factura sit, et ut dicebat Faustus Semipelagianus: « Nisi præscientia exploraverit, prædestinatio nil decernit, » libro II de gratia et libero arbitrio, cap. III, in tom. IV bibliothecæ. Hoc autem est dependentem ponere ejus providentiam a nostra determinatione, et quod non possit aliquid certo providere nisi ex suppositione quod nos facimus, quod est non ponere omnia perfecte in manu Dei; et quod ipse se accommodet in providendo nostris determinationibus, non operationes, et determinationes nostræ ejus providentiæ. Et ita efficacia ejus in providendo semper debet expectare et præsupponere nostram determinationem ut certa sit, non per se id facere et consummare. Quod omnino indignum est divina providentia, et omnimoda efficacia et potentia gratiæ ejus. Ude recte cecinit Prosper in carmine de ingratis, capite XV :

*At vero Omnipotens hominem cum gratia salvat,
Ipsa suum consummat opus; cui tempus agendi
Semper adest, quæ gesta velit, non moribus illi
Fit mora, non causis anceps suspenditur illis:
Nec quod sola potest, cura, officioque ministri
Exequitur, famulisve vicem committit agendi.*

SPECIALIS DIFFICULTAS.

XXXIII. Defensores scientiæ mediæ non modice discordant inter se in componendo objecto scientiæ mediæ quod congruum sit et non inutile divinæ providentiæ. Et difficultas reducitur ad hoc, quia ut omnes auctores scientiæ mediæ supponunt, et est per se notissimum, quando Deus cognoscit quid Petrus faceret tali vel tali occasione præventus, non potest id cognoscere nisi etiam cognoscendo concursum suum sine quo talis actus vel effectus exire non potest, et consequenter debet cognoscere decretum, quod habebit in tali occasione de concurrendo cum Petro, quod tamen dicunt de facto non habere Deum, sed cognoscere quod habebit sub illa conditione, et vocant hoc decretum conditionatum ex parte actus. Hæc non negant auctores scientiæ mediæ. Sed oritur inde difficultas, quomodo objectum illud conditionatum formetur, ita quod deserviat scientiæ mediæ. Nam Deus cognoscit quod Petrus faciet hoc si in tali occasione ponatur, et similiter si habuerit concursum Dei, ita quod Deus non suspendat illum; posito autem concursu ex parte conditionis objectum redditur necessarium, pertinetque ad scientiam simplicis intelligentiæ, si enim ponatur concursus Dei est omnino veritatis necessariæ, quod talis effectus fiat. Si vero concursus Dei non ponitur pro conditione, non potest Deus videre effectum futurum, si enim concursum suspendat, nihil fiet.

XXXIV. Hæc difficultas mordet acriter defensores scientiæ mediæ. Et dividuntur: quidam docent, objectum scientiæ mediæ formari ex ipso actu vel effectu sub conditione posito, et ex concursu Dei indiffe-

renti ad unam partem et ad oppositum, ad consensum vel ad dissensum, et consequenter ex decreto indifferenti offerendi utrumque concursum. Alii vero, formari ex concursu Dei jam determinato, verbi gratia, pro consensu determinate, vel pro dissensu determinate, et ex decreto dandi talem determinatum concursum. Et primi putant sine indifferenti concursu destrui objectum scientiæ mediæ, quia ex concursu determinato formatur objectum necessarium, quod enim Deo concurrente determinate sequatur effectus est veritas necessaria non libera, objectum autem scientiæ mediæ debet esse liberum. Secundi vero putant stante indifferenti concursu ex parte conditionis requisitæ, non poni infallibilitatem in scientia mediæ, quia ex indifferenti concursu non sequitur infallibiliter altera pars, neque potest determinate videri assensus, verbi gratia, qui de facto erit, nisi videndo determinatum concursum qui identificatur cum illo.

XXXV. Cæterum neutri satisfaciunt. Nam qui dicunt solum in objecto conditionato intervenire concursum indifferentem, vel intelligunt solum intervenire concursum indifferentem, sine quo libertas non salvatur, excludi autem omnem concursum determinatum quo de facto videtur Deus concurrere si de facto videt assensum futurum, vel intelligunt intervenire quidem indifferentem concursum, quia requiritur ad libertatem, sed simul determinatum concursum debere videri, quia determinatus actus futurus videtur, et potius assensus, v. g. dissensus. Si hoc ultimum, nihil aliud dicunt, quam secundi auctores, qui omnino negare non possunt intervenire ibi concursum illum indifferentem, sive oblationem duplicis cogitationis, sine qua ipsi dicunt quod non